

nescio, nam semi ☿ ante eius discessum eadem ad eum misi, forte eius ancilla in culpa, quod ipsi non statim ea dederit, reliquum nescio. Dnus van Royen circa finem suorum prolegomenorum Tuum Systema admodum laudauit, dixitque se cum admiratione vidisse, quod hactenus non credidit, ea omnia exacte obtinere, attamen non posse secundum systema Tuum Botanicen in horto doceri, quia id lynceos requirit oculos; sic vanam in re non experta inuenire voluit excusationem. Non potui ipse eius lectioni interesse, quia die ☾ ob iter pedestre die ☉ praemissum nimis diuturno somno detentus fui.

Laetor summopere, cum heri D. Boerhaave a Principe Polon. Scorturinsky accepit responsum, eamque spartam sane ditissimam et illustrem contulit eidem, quem ipsi commendare ausus fui.

Quantum solamen mihi misero dedit dies ☉, cum expertus sim me socios habere meae in Botanicis inscitiae; adeo vt quidam dixerit, se putasse hactenus quod quid sciret in Botanicis, sed iam se scire, quod sciat nihil. Quanta turbatio hactenus exagitauit meum animum, dum vidi me tam multa in Botan. ignorare, en et alios, quos forte inflauit iam ea parua, quam sibi imaginati fuere, scientia, socios meos. Vidi eos constituere mecum vnam classem, in qua vero duos ordines die ☉ per experientiam constituere potui. 1. qui plane illa nec addiscere volunt; 2. qui libenter, et alii adhuc qui auide ea addiscere optant. Continuabo ergo meas quaestiones:

1. quo modo F. B. § 80. intelligere debeo, cum Calix et Corolla, nec ad genitalia, nec ad partem plantae referri possunt.
2. Iam probe scio, quid sit radix Bulbosa et Tuberosa, sed cum Tuberosa et Fibrosa vtraque sub corde ponatur, ego non scio bene quid *Fibrosa* sit; si nempe fundamentum distinctionis inter Radices constituat situs relatiuus ad cor.
3. Ego peterem definitiones de partibus plantae generalibus cum nesciam quid Truncus, folia vel fulcra sint in muscis, in Lichenibus.
4. Caules aculeatos, vt in Araliastro, an refers ad caules hispidos, an noua subdiuisio fieri debet, aut tantum gradu differt ab hispido.
5. Quid caulis compositus distichus.
6. Quid — — — subdiuisus.
7. Culmus articulatus facit peculiarem speciem, ego putauit omnem Culmum articulatum esse debere, ergo eripias me ex eo errore.
8. Quid culmus squamosus? Annon forte re ipsa est ipse bulbus, vt in Musa, quod mihi iam non videtur paradoxon, cum semel Tuam definitionem bulbosæ adsumserim radice. Sed iam monet discessus